




108
39









M 10.

DISPV TATIO INAVGVRALIS
DE
**PALPITATIONE
CORDIS**

QVAM
GRATIOSISSIMI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV

PRAESIDE
CAROLO AVGVSTO
à BERGEN

MED. DOCT. ET P. P. ORD.
EIVSD. FAC. h. t. DECANO
PATRONO ET PROMOTORE SVO
ADMODVM COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS
IN ARTE MEDICA RITE IMPETRANDO,
SOLENNI ET PLACIDO ERVDITORVM
EXAMINI SVBMITTIT
RESPONSVRVS AVCTOR
LEONH. DAVID HERMANNVS,
Olfnenfis Silefius

AD. DIEM. IIII. NOV. MDCC XXXX.

FRANCOFVRTI. AD. VIADRVM
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

DISPUTATIO IN ACADEMIA
 DE
 FALSISSIMO
 ABRAHAMO
 CVM
 GRATISSIMI MEDICORVM ORDINIS
 COSENSU
 PRÆSIDENTE
 CAROLO AVGVSTO
 & BERGEN
 MED. DOCT. ET P. B. ORD.
 H. V. D. S. C. L. DECANO
 PATRONO ET PROMOTORE SVO
 ADMODVM COLLENDO
 PRO GRADV DOCTORIS
 IN ARTE MEDICÆ ET IN PRACTICA
 SOLENNITATE ET ORDINE ERVITVRAM
 PUBLICAM SYMPLICITER
 RESPONDERVS AUCTOR
 LEONH. DAVID HERMANNVS
 Giesensis Scholæ
 MD. CCLXXXIII. NON. MDCCLXXXIII.

HANNOVERÆ AD KUNDRUM
 Typographi SCHWARTZ, Acad. Reg. Typogr.



V I R O
MAXIME REVERENDO, *atque* AMPLISSIMO
D O M I N O
ABRAH. GOTTLIEB
HERMANNO,

A. M.
ECCLESIAE EVANGELICO - LVThERANAE
LOSSENSIS

PASTORI MERITISSIMO
AC DIOECESIOS CIRCVMACENTIS SENIORI
GRAVISSIMO,

PARENTI OPTIMO AC DILECTISSIMO,
LEVIDENSES HAS

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS
IN ALIQVALEM GRATI ANIMI TESSERAM

D. D. D.

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

L. D. H.

PRÆFATIO
N
VIR O
MAGISTRE RINERENDO. CUM AMPLISSIMO
DOMINO
ABRAHAM GOTTLIEB
HERMANNO,
ECCLESIAE EVANGELICO-LUTHERANAE
LOSSENSIS
PASTORI MERITISSIMO
AC HONORIS CIRCUMSCRIBITIS SENIORI
GRAVISSIMO,
PARENTI OPTIMO AC DILECTISSIMO,
LEVIENSIS HUS
STUDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS
IN ALIOVALEM GRATI ANIMI TESSERAM
D. D. D.
EIVS OBSEQUISSIMVS
HIPPOLYTUS
DELEPHONVS CASTELLONVS
VERBA VALE JERON. CAP. IV. VERS. 28. SE. IONANT
NIGHT. OPTVS. PRAEFATIO. HERMANNVS. HERMANNVS.
ADDEO

PRAEFATIO.

Nemo facile mediocriter tantum in historia litteraria medica versatus inficias ibit Hippocratem Coum inter Scriptores medicos, qui praeter fragmenta integra et systhematica nobis scripta reliquere vetustissimum esse. Hoc non obstante morborum sui temporis historiam adcurate adeo tradidit, vt, inter alia plura praesentis nostri adfectus variis in locis mentionem fecerit; Sic loquitur de palpitatione cordis in libro *περὶ τῆς νόσου* de morbo sacro: de palpitatione praecordiorum *ἄνω τῶ παλμῆ ἰποχονδρῆς* in lib. Epid. I. Aeg. 2: palpitatio ad umbilicum vocatur *παλμὸς ὄλα τῶ σώματος* in Lib. Epid. III. Aegr. III: et passim alibi. Quis vero vnquam credidisset, quadringentis fere annis ante natum Hippocratem in sacris litteris hunc morbum esse descriptum? Vertente enim CASTELLIONE verba vatis Jerem. Cap. IV. vers. 19. sic sonant *Viscera, viscera, praecordia adeo mihi dolent, adeo*

adeo mihi turbatur cor, ut tacere nequeam. Quod effectum alii de praecordiorum anxietatibus, nos vero de vera cordis palpitatione interpretamur. Primo enim in aliis versionibus de parietibus cordis sermo est, quae vox si in textu haebraeo occurrit, fat docere videtur, vatem de ipso corde locutum fuisse; experientia quippe teste reperimus in corde cavitates et parietes has cavitates formantes. Alterum quod pro nostra sententia militat, est, quod vates summo quasi terrore perculsus de istius praecise partis dolore conqueratur, quae in hoc affectu maxime afficitur, quae, quum imprimis cor sit, patet per dolores parietum et cordis statum turbatum hic proprie intelligi conuulsuum et immoderatum cordis subsultum, quem omnes palpitationem vocare solent. Sed thematis nostri inauguralis memores, haec, cum nostri non sint fori, missum facimus, et aliis potius relinquimus Deum O. M. precati, ut ad praesentes labores exantlandos vires nobis clementissime concedat.



Q. D. B. V.

§. I.

De palpitatione cordis theses has inaugurales conscripturi facile praeuidemus onomatologiae rationem nobis habendam esse; ne vero Grammaticorum tricis nos implicemus, dicamus breviter, quid nobis in tantis sententiarum diuortio vero simillimum videtur. Scilicet graece palpitatio audit το παλμός της καρδιας, παλμός vero est deriuatiuum a πάλλω quatio, vibro vel agito; quod proinde vocabulum naturam & indolem huius affectus optime exprimit. Palpitatio autem latinae originis a palpito, et hoc a palpo, quod est mollius et quasi tentando tangere deriuatur. Sed quum in nostro affectu motus cordis violentissimus, et conuulsius deprehendatur, malumus potius dici Medicos perperam hoc vocabulo latino ad designandum hunc morbum vti; vtpote termino tecnico intrinseco valore plane carente, quum id non exprimat, quod natura huius mali praefert, quod ipsum **LOVERVS** ^a monuisse videtur.

A

§. II.

^a Tract. de cord. Lond. 1689. 8. p. 87.

§. II.

Palpitatio cordis in scholis medicis definitur cordis immoderata concussio, siue conuulsuus motus vehementi systole et diastole molestus. Describitur vero prolixius, magis quam definitur, hic affectus oriri a causa quae vel in fluidis, vel solidis corporis nostri latet; cum vario pulsu nunc frequenti et raro, nunc debili et irregulari conjunctus; adeo saepe validus, ut non solum tactu, sed etiam visu, et auditu in distans sese manifestet.

§. III.

Ex descriptione (§. II.) patet, dari varios palpitationis gradus, quos, si quis melioris ordinis et conceptus, immo diagnoseas causa separatim enarratos cupit, ad sequentem numerum nostro quidem iudicio rediguntur. Primus gradus erit, quando aegri tantum has palpitationes sentiunt; secundi initia adsunt, si quando ab adstantium manibus pectori admotis, sentitur; tertio via panditur, si oculis nostris sistitur palpitatio, dum stragula, et vestimenta, quibus aeger circumdatur, ad quosuis cordis ictus eleuantur. Quartum gradum constituit palpitatio, quam auditu adstantes et paullo remoti distinguunt, quale exemplum habet FORESTVS ^b in iuvene, in quo cordis strepitus extra fenestram audiri potuit. De quinto gradu conuicti esse possumus, si tanta est cordis subsilientis vis, quae sensim sensimque costas lateris affecti dilatat, et extrorsum pellit. Supremus autem gradus supponitur si plane costae diffringantur, quod FERNELIVS ^c obseruauit in quodam aegro, cui ob cordis indomitam ferociam binae lateris sinistri costae primum mendosae factae, et postmodum diffractae sunt. Similem quoque casum
peculi-

^b Obs. Med. Lib. XVII. obseruat. I.

^c Oper. medic. Patholog. L. I. cap. XI. 472.

peculiari tractatu descripsit ANGELVS VICTORIVS
 Omnibus vero his palpitationum gradibus id commune est,
 vt omnes morbosae, molestae, et fatis chronicae sint, nec
 raro sine euidenti ac externa causa hominem corripiant, et
 saepe per totam vitam concomitentur.

§. III.

Morbis vero, qui aliqualem conuenientiam cum
 nostro alunt, vel saltem in vno aliquo tertio conueni-
 unt, interim reuera et realiter distinguuntur, adnume-
 ramus primo auctiorem cordis motum in iis, qui ex som-
 no expergesunt, vbi cor per pauca momenta palpitat, sed
 breui ad pristinam aequalitatem redit; nec non in iis, qui
 celeri cursu, saltatione, ascensu accliuum, aut balneis
 corpus fatigant; vel qui variis animi affectibus indulgent,
 quique palpitationem sed cito transitoriam patiuntur. Eo
 quoque referendus est auctior cordis motus vna cum respi-
 ratione laboriosa, qui quibusdam post pastum ex moderato
 etiam corporis motu statim exsurgit, quique a pleno ven-
 triculo cor sursum per tenue diaphragma vrgente, vel etiam
 transitu chyli per cor et pulmones vnice dependet, et ab-
 soluto chylicationis negotio, cessat. A cordis palpitatione
 longissime quoque differt ea, quae teste Cel. F. HOFF-
 MANNO interdum, maxime in feminis, circa vltimos
 gestationis menses in epigastrica regione sentitur, cuius
 nempe sedes in arteriae coeliacae ramificationibus prae-
 nimio sanguine turgidis, et repletis latet. Denique tremor
 cordis ab eius palpitatione probe distinguendus est, qui in

A 2

debili,

d De palpit. cord. et fractur. costar. beat. Philipp. Nerii fu-
 isse morbum supra naturam dissertat. medic. Romae 1613. 4to.
e Med. Syst. Tom. III. p. III. p. m. 276.

debili, celeri, et trepidanti cordis motu consistit, quam palpitatio fit cordis affectio non nisi violentissimo motu se se manifestans.

§. V.

Quum vero sedes huius mali (§. II.) fit potissimum in corde, nec causae hoc producentes intelligantur, nisi praemisissis iis, quae de structura, et motu cordis naturali hic scire expedit, liceat mihi breuissimam cordis structurae, et functionis eius subiungere descriptionem. Cor scilicet omnium Medicorum consensu est musculus ingentes possidens vires, et diuersarum serierum fibris instructus, quasi quadricauus, in thorace a quatuor vasis pendulus, excipiendo, et propellendo sanguini destinatus; quamque suam functionem alternis motibus, et constrictoriis, et relaxatoriis, systolen et diastolen vocatis, absoluit. Quodsi vero in modum inquirimus, quo hi motus fiunt, docent experimenta, hunc musculum quadricauum non in omnibus suis partibus simul et semel constringi, et relaxari, sed ventriculos et auriculas alternis moueri vicibus, ita vt constrictis auriculis ventriculi laxati sint, et contra laxatis ventriculis auriculae constringantur. Nec ipse Excell. LANCISIUS *f* huic autopsiae contradicit, achronismum huius duplicis in ventriculis, et auriculis motus quidem negans, attamen largiens has partes diuersas non vno eodemque momento physico moueri. Contrahente se corde arcantur ventriculorum sinus, laxantur auriculae, quae sanguinem excipiunt, dum illi eodem momento laticem suum in apertas arterias, aortam et pulmonalem, pellunt. Sed qui
porro

f Tract. de motu cord. et aneurismatibus. L. II. c. 1. pr. 59. p. 192. L. B. 1740.

porro dītersum ventriculi vtriusque robur, magnitudinem, fibrarum suarum directionem, et situm ad basin cordis tendineam admodum variantem perpendit, mira videbit videntis et adhuc sese mouentis cordis phaenomena, quae quam parum cum opinionibus Medicorum cohaerent, ex sequentibus patebit. Plurimi enim etiam Celeberrimi Medici ante aliquot duntaxat annos statuebant, contractionem siue systolen cordis fieri iuxta axem suae latitudinis, diaστοlen vero secundum axem longitudinis; hoc est cor contractum fieri breuius, et laxatum elongari, donec Celeberr. WINSLOVIVS *g* ex praepollente fibrarum obliquarum, et transuersarum numero hunc motum diiudicans in contrarias plane partes abierit. Neutros vero rem acu tetigisse ocularis inspectio in variis animalibus, praesertim amphibii docet, quippe semper apparet, cor spirali quodam motu, dimidium vnius conuolutionis cochleae fere efficiente, se contrahere, et axem longitudinis non tam elongari vel accurtari, quam inflecti, et incuruari. Cuius quidem phaenomeni rationes physicas ex numero et situ fibrarum, et totius cordis penduli, si nostri hic esset fori, reddere possemus.

§. VI.

In causas huius motus inquisituri Physiologi, qui animae imperium in actus vitales, et naturales simpliciter negant, hunc motum, nec absone influxui, et energiae liquidi neruorum per neruos paris vagi, et paris intercostalis ad cor propulsi tribuunt, idque variis experimentis comprobant LOVERVS, VIEVSSENS, BAGLIVVS, PETITVS. Nonisime autem Io. Mar. LANCISIVS *b* plures longe

A 3

g Expos. Anat. a Paris 1732. 4. Trait. de la poitrine. §. 83. p. m. 596.
b l. c. L. I. S. II. c. III. Pr. 48. p. 159.

longe neruos ad cor furculos mittentes demonſtrauit, atque ſimul euicit, cauſſam contractionis cordis tanto certius adſcribi poſſe fluido neruorum. An uero, ut idem uult auctor, nerui cordis gangliis praediti maiorem hic ſymbolam conferant, ac reliqui his deſtituti, res eſt, quae ulteriori experientiae relinquitur. Quamquam igitur largiamur, neruorum cardiacorum fluidum cauſſam huius motus eſſe, in eo tamen diſſentimus, ſi quis hanc motus cauſſam tanquam uniuersalem, et ſolitariam agnoſcit, quam potius ſociam, et cooperantem reputamus. Namque praeter hoc fluidum ipſa circulantis et in motu conſtituti ſanguinis maſſa ad perennandum hunc motum ſymbolam ſuam confert; cui aliam quoque incognitam ad latus pono, neque a cerebro vel fluido neruorum, neque a circulante ſanguine, neque ab anima deriuandam, naturalem nimirum fibrarum contractilitatem poſt mortem ſuperſtitem, uti uidemus in corde anguillae uel ranae ex corpore animalis euulſo, diu admodum palpitante, et ſeſe mouente. Quem motum ſemel ceſſantem variis artiſiciis aqua tepida, ſtimulo cuſpidis acus, reſuſcitare norunt, et cuiusmodi experimenta varia proſtant apud WEPFERVM alioſque. Verum haec cauſſa ita comparata eſt, ut quidem, ceu poſt mortem ſuperſtes, pro principali ſit habenda, non tamen ideo explicacioni potentiarum mouentium, ab influxu liquidi cerebroſi, uel tranſitu circulantis ſanguinis deſumptarum, quidquam derogat.

§. VII.

Properamus iam ad ipſam huiusmodi hiftoriam praefentis morbi et ſymptomata, quibus ſe manifeſtat, quae antequam recensentur, ſubiectorum huic morbo prae caeteris obnoxiorum mentio

§ Lib. de cicut. aquatic. p. m. 217.

mentio facienda est, quaeque sunt homines strictioris corporis habitus, imprimis temperamenti sanguineo-melancholici, aetatis junioris, et qui ob animi adfectus sensibiliores iram, terrorem, vel moerorem animi maxime sunt proclives. Longe frequentissime his malis vexantur, quibus euacuationes sanguinis spontaneae, et quae cum euphoria fluxerunt supprimuntur, vel etiam, qui artificiales statim tempore fieri solitas neglexere. Neque minus viri et mulieres cachecticae huic morbo obnoxiae, imprimis si corpus paulisper movent; cuius causa in sanguine, particulis segnioribus, et minus actiuis onusto, latet, qui tum ex cordis sinibus nec libere nec expedite eiicitur. Denique hypochondriacos huic malo obnoxios esse J. LOMMIVS ⁴ docet his verbis: idem vitium iis familiare est, qui intra quadragesimum annum et quinquagesimum sunt, et quos flatuosa melancholia fatigar, et quibus lien atra bile tumet. In iis pariter, quibus thorax naturaliter plus aequo contractus est, palpitationes cordis sunt frequentiores, quia cordis motus non patitur contactum ad corpora ambientia solida.

§. VIII.

In primo itaque et secundo palpitationis gradu (§. III. a. b.) palpitatio sola pulsatione impetuosa eaque varia, ac saepe sine lege, sine ordine, paullatim aucta et inualecente, molestiam creat, atque nunc longius nunc brevius durat, frequenter autem per quietem corporis intermittit. Subinde ad quamvis etiam leuissimam occasionem recurrit, maxime spirituosius calidis adsumptis, vel venere, vel animi adfectibus, vel balneis recrudescit. Pulsus arteriarum licet sic intermit

⁴ In Aureo obseruation. medicinal. libell. p. m. 129.

intermittens, cordis motui non semper respondet, sed imminutus fertur, quin teste TIMAEO à GVLDENKLE ^m prorsus non animadversus fuit. Immo omnem pulsus varietatem, rari, frequentis, tardi, celeris, magni, parui, debilis, et cuiuscunquae inaequalitatis plerumque palpitationi iungi auctor est L. BELLINVS " Equidem noui JO. LOMMIVM ° ad signa palpitationis referre pulsus arteriarum in toto corpore vehementem, inprimis earum, quae supra iugulum sunt; quod in eo duntaxat admitto casu, si morbus a polypo cordis in vasa iam eunte, et extenso oritur. In graui accessione (§. III. c. d. e. f.) plerumque est dolor praecordiorum obseptum cordis vi nerui phrenici simul adfecti, adsunt praeterea magni angóres, singultus, vniuersique corporis inbecillitas, facies modo pallore foeda, modo rubore suffusa, crebra vertigo, oculi tenebris offusi, caeteri saepe sensus turbati, et denique vbi continuo affligit grauis saepe coniuncta dyspnoea. Non obstante pulsus varietate omnimoda raro immo rarissime huic morbo complicatur pulsus durus, ceu motus febrilis indicium, certo argumento in constrictione palpitantis cordis sanguinem in aortam propulsus qualemcunque pati remoram.

§. VIII.

Sectio eorum qui morbo hoc periere, multa in corde manifestat phaenomena, quae commode vel ad causas vel ad effectus huius mali referri possunt. Saepe enim fit, vt id, quod causa morbi habetur, eius sit effectus et, vicissim: quare in his diiudicandis deproperare non debemus ne
 finitrum

^m Epistol. medic. XXIII. p. 140.

" Opusc. Med. de Morb. pect. p. 638.

° l. c.

sinistrum feramus iudicium, quod ipsum D. D. PRAESES plurimis exemplis et argumentis iam alibi ꝑ inculcauit. Saep̄ igitur in iis, qui diuturna palpitatione defunguntur hydrops pericardii inueniri solet, vt habet C. PISO ꝛ et TVLPIVS, ꝛ quam tamen aquarum copiam non tam pro causa quam effectu palpitationis habendam esse censeo, etiam si materialis in corde causa non inueniatur. Huius rei consensus quoque inuenimus apud Excell. HOFFMANVM. ꝛ Quare etiam hydrops pericardii in EPH. NAT. CVR ꝛ descriptus nostro iudicio causa palpitationis non fuit, etiam si non in dubium vocamus, cor adhuc intra aquas pericardii palpitasse. Minus adeo audiendus est J. DIEMERBROEC ꝛ qui palpitationem in hydrope pericardii fieri posse negat, quique, suam quum vni duntaxat obseruationi superfruit sententiam, falli quoque potuit; sic et palpitationis effectui tribuimus concretionem pericardii cum corde a T. BONETO ꝛ notatam. In istiusmodi porro cadaueribus cor in praeternaturalem molem excretum, et vasa aneurismatica deprehendi solent, vt potius cordis bouini quam humani referat effigiem; non tamen semper hoc fit ventriculorum extenuatione, sed etiam teste T. BONETO ꝛ ita, vt aequaliter et cavitates et substantia carnosae in maiorem molem et crassitiem extendantur; quod

B

vtrum-

- p Dissertat. de coalitu viscerum Francofurti ad Viadr. 1736.
 q Lib. de morb. a serosa colluue.
 r Obseruat. Lib. III. Cap. 20.
 s Med. systemat. Tom. III. part. III. p. m. 291.
 t Volum. II. Obs. VII. p. 17.
 u Oper. Med. T. I. p. 340.
 ꝛ Sepulchret. Lib. II. p. 647.
 x l. c. p. 644.

utrumque nos pariter palpitationis effectui adscribimus. Cui quoque in acceptis referimus, quod in diuturna palpitatione cor saepe e situ naturali remoueatur, quale exemplum in quadrienni palpitatione a polypo adiposo, vbi cor versus diaphragma detrusum fuit, refert pariter T. BONETVS. Nonnunquam autem citra labem in corde eius situs naturalis praegrēsis palpitationibus ita mutatur, vt in hydrope ascitis magis superiorem, in hydrope pectoris vero magis inferiorem situm, quam naturaliter fit, occupare solet; quod quippe phaenomenon pressioni et extensioni aquarum stagnantium si adscribimus, a vero non aberrare credimus. Ab arteriae aortae trunco osseo prope facto palpitationem recenset BONETVS, * idemque porro notat, se palpitationem ab excrescentia carnosā intra aortam et venam pulmonalem aliquando vidisse. Interne in cordis ventriculis iterum varia se produnt phaenomena, quae tanquam causae palpitationum spectari possunt, quorsum primo ipse sanguis congrumatus et coagulatus referendus in tanta saepe copia inuentus, vt EPH. NAT. CVR. ^{aa} notantibus §iae XVI. in tali praegrandi corde fuerint inuentae. Et vt bene monet Clar. HOFFMANNVS ^{bb} ventriculus dexter praec sinistro frequentius laborat, et saepissime coagulato cruore obstipatus est, quod ipsum comprobatur intuentibus farraginem obseruationum, quas T. BONETVS collegit, et vbi saepius dexter, raro sinister ventriculus sanguine et polypis repletus est inuentus. Huc referendi quoque sunt vermes in corde reperti, quorum passim exempla in obseruationibus medicis leguntur.

Lapil-

^y. I. c. Lib. II. p. 643.

^z. I. c. p. 636. ex WILLISII Pharmacopoea rationali.

^{aa}. Decad. I. Ann. IIII. p. 37.

^{bb}. Med. Syst. T. IIII. part. III. p. 281.

Lapillos denique, vel calculos in corde palpitationis causam existisse saepius allegatus T. BONETVS ^{cc} testatur, imprimis de duobus lapillis in ventriculis repertis, aliisque adhuc tribus septo cordis innatis. Vt taceam similia confirmari a KERKRINGIO ^{dd} aliisque bene multis.

§. X.

Liceat mihi nunc antequam ad reliquarum causarum scrutinium me accingo, perspectis iis (§. VIII.), quae in corporibus palpitatione defunctorum reperiri solent, in rationes formales huius motus violenti et conuulsiui cordis inquirere, nonnullasque simul circumstantias expendere, quae cordis situm, motum, partes, molem admodum mutatam spectant. Et quidem primo quod hunc motum attinet, disputant adhuc medici inter se an intuitu cordis fiat secundum eandem directionem ac in systole atque diastole cordis naturali, vel etiam febrili fieri solet, vel an contingat ratione a naturali hoc motu diuersa? Posterius qui adserunt non destituuntur ratiociniis, probantque ex symptomatibus palpitationis, praeter motum spiralem cordis (§. V.) in palpitatione dari cordis subsultum, quo cor totum ab apice versus basem attollitur, et qui motus cum naturali cordis contractione nihil commune habet. Addunt, quod cor pendulum et liberum a tam violenta agitatione e sede sua saepe remotum, et detrusum inueniatur. Cui quoque accedit, quod in febre cum violentissimo etiam cordis et arteriarum pulsu coniuncta cor iuxta vibrationis suae quantumlibet auctae, aut imminutae leges adeo palpitare et exillire nequeat. Cor itaque durante hoc adfectu motum conuul-

B 2

^{cc} Sepulchret. Lib. II. p. 644.

^{dd} Spicileg. anat. Obseru. 78.

conuulsium ab ordinario plane diuersum obtinet, et vt
 pars spasma adfecta e loco suo mouetur. Alii de momento
 huius conuulsui motus magis solliciti dicunt palpitaciones
 et cordis ad costas allidentis vibrationes fieri in momento
 systoles siue contractionis, quia cordis mucro sursum eleua-
 tur, vt vult L. BELLINVS " neutrum vero horum con-
 tingere putat T. BONETVS ff nulla ratione concipiens,
 quo modo palpitiatio in systole sentiri possit, quia cor mi-
 nus fit; nec in diastole, quia ad naturalem magnitudinem
 redit, sed qui attendit ad rationes relaxati et contracti cor-
 dis (§. V.) simulque perpendit, cor praeter inflexam longi-
 tudinis suae axem vteunque paullisper in contractione elon-
 gari, nouitque insuper contractum cor ad momentum fieri
 durissimum, in diastole vero iterum mollescere, facile con-
 cedet, cor momento systolis, et apice sursum directo, palpi-
 tationis sensum imprimere. Probabile quoque est violentam
 hanc cordis compressionem supponere inaequalia tempo-
 ris interualla inter systolem et diastolem, atque priorem
 citius absoluti hac posteriori. Ex historia huius morbi et
 phaenomenis, quae post mortem sese manifestant porro pa-
 tet ventriculos cordis et praecipue dextrum polyposis con-
 crementis refertum esse, quod proin praeter deprauatam
 sanguinis indolem eius circulum in corde praepeditum ar-
 guit. Et reuera, si, quo tempore auriculae cordis in ven-
 triculos sanguine deonerandae sunt, cor palpitatione strin-
 gitur, perfecte exonerari nequeunt, sed nouo per venas
 redeunte sanguine sensim infarciuntur, sicque non solum
 concretionibus via panditur, sed periculum est subsequenti-
 nimiae

ee Opusc. Francof. ad Moen. 1698. p. 638.

ff l. c. Lib. II. p. 638.

nimiae cordis dilatationis, quae tum locum habet, vbi fibrae parietum vltra elasticitatis suae sphaeram distenduntur, et contractioni fiunt impares, sicuti in plerisque, qui palpitatione moriuntur, teste LANCISIO cor dextrum, auricula dextra et saccus venae cauae in aneurismaticam amplitudinem extensa deprehenduntur. Hic sanguinis praepeditus circulus eius in arteriis cursum durante palpitatione non nihil remoratur, et quasi repercutit, hinc corde etiam validissime conuulso nihilominus debilis in carpo sentitur pulsus. Sed esto in his naturae abstrusis coniecturis locus, et dicam cur plerumq; dexter ventriculus prae sinistro increseat. Pendere id nimirum videtur tum a minore robore, et contractilitate, tum ab indole sanguinis venae cauae segniori et impuriore. Stupendorum vero effectuum, dilatationis et diffractionis costarum rationes in hoc morbo a motibus respirationis contrariis, vel potius alternis deriuandas esse existimo; scilicet vbi in expiratione costae introrsum vergunt, et complanantur, hoc eodem momento violenta cordis ad costas collisio has sensim extrorsum pellit, attenuat, atterit, donec in summo gradu rumpantur.

§. XI.

Quibus omnibus praemissis (§. VI. -- X.) causas huius mali persequimur, easque commode diuidimus in idiopathicas, et symptomaticas, Idiopathicae vero sunt iterum uel mediatae, vel immediatae. Ad causas immediatas idiopathicas referimus materiam quandam peregrinam acrem, et causticam cordi inhaerentem a retropulsione exanthematum in variis morbis, scabie, variolis, purpura ipsaque arthritide retropulsa, natam, quale quid legi meretur in

B 3

COMM.

COMM. LITT. NORIMB. *ss* vbi puella octennis ex re-
tropulsione achorum in capite et brachio in dolores lateris
punctorios, postmodum in palpitationem lethalem incidit,
cuius sectio postea docuit, cor non solum concreuisse cum
pericardio sed et thalamos eius repletos fuisse polytis lar-
dosif. Conuenientem quoque casum palpitationis habet S.
PAVLI *bb* a foctore pedum suppresso enatae. Pariter
memorabilem refert palpitationem Excell. HOFFMAN-
NVS *#* quae ex cicuta aquatica mammis per errorem loco
petroselini in puerpera ad reprimendum lac imposta nata
fuit. Idiopathicus hic quoque adfectus dici meretur, si
quando in proritanda palpitatione nimius fluidi neruei
impetus peccat, cuius rei exemplum videmus in palpitationi-
bus a nimia venere vel odoribus ingratis subortis. Fre-
quentissime autem huius fluidi et neruorum interuentu pal-
pitationes oriuntur ex variis animi affectibus, quorum ef-
fectus in sanguinem sunt vel sanguinis massam celerius com-
mouere, et a partibus interioribus ad corporis superficiem
compellare, veluti in ira et gaudio, vel easdem inuersis mo-
tibus ad interiora restringere, quemadmodum in metu,
moerore, et tristitia obseruamus. Quoniam vero in gaudio
et ira humores a centro ad peripheriam, in moestitia a pe-
ripheria ad centrum mouentur rarissime praecedentes ad-
fectus palpitationem inducunt, ideoque nec ad causas pal-
pitationum referendi.

§. XII.

Causae idiopathicae, sed mediatae palpitationum
nunc

gg Annus 1736. p. 60.

bb Quadripart. botan. p. m. 81.

ii Med. Syst. T. III. part. III. p. 312. obs. 8.

nunc sunt polypi in corde nati, sanguinis et humorum abundantia, quo in casu non tantum vasa, sed et cordis sinus sanguinis exsuperantia ita opplentur, et vehementer distenduntur, ut nixus in fibris contractionem molientibus crescat, et hoc ipsum à mole et impetu humorum validiori, suarum fibrarum contractione subsiliat, et palpitationem proritet. Hoc vitii genus in iis, quibus haemorrhagiae supprimuntur, vel etiam artificiales sanguinis euacuationes negliguntur, observatur. Multo autem magis hoc malum imminet, si praeter plenitudinem vasorum, contentorum humorum spissitudo accusanda venit, namque crassus, et viscidus sanguis non raro stagnantem in corde relinquit portionem, cui expellendae palpitans motus suscitatur. Eidem sanguinis conditioni, ut causa tribuenda est polyporum in corde generatio, qui rebellem admodum et arte medica vix subleuandam palpitationem causantur, et pro ratione, qua plus vel minus cordis parietibus accreti, vel in ventriculis fluctuantes deprehenduntur, morbum hunc pertinacissimum reddunt, Denique his causis adnumero quoque vasorum nimiam exinanitionem à praecedentibus enormibus sanguinis profusionibus ortam, et quale exemplum HEVRNIVS // de matrona nimia haemorrhagia laborante refert.

§. XIII.

In caussarum censum, quae palpitationes symptomáticas producant, veniunt primo potulenta et esculenta flatulenta, quae ventriculum [expandendo, septi transversi descensum (§. III.) impeditum reddunt, et sanguinis per cor iter remorantur, ut de se ipso in epistola ad BORELLVM data

// Lib. de morb. pecc. Cap. VIII.

^{mm} data docet MALPIGHIVS. Cuius palpitationis flautentae exemplum quoque notauit HOLLERIVS ⁿⁿ in puella cuius paroxysmus soluebatur edito ructu, crepitu et adhibito clystere, dolore in mediis scapulis et fronte, deinde tusi violenta. Sic et imi ventris et pedum stricturae per thoraces et caligares arctius ligatas tales quandoque periodicas palpitationes generant.

§. XIII.

Enarrauimus supra (§. VIII.) symptomata quibus varii palpitationum gradus sese manifestant, expedit ergo nunc perpenſis causis (§. XI. XII. XIII.) signa investigare, quae diuerſitatem causae in hoc morbo indicare solent, quaeque utrunque non tam certa, ut his semper, tuto fidere possimus, ut plurimum tamen sic comparata sunt, ut Medicus circumſpectus, et qui reliqua morbi symptomata probe ponderat, in diagnosi sua non admodum falli possit. Quod si ergo a retropulsis exanthematibus (§. XI.) morbus fuerit ortus exanthematis eius antea praesentis, et nunc euanescentis conditio suspicionem excitat, in retropulsa materia morbifica latere causam palpitationis. Ab animi adfectibus, terrore, metu, (§. XI.) nec non a spissitudine, et congruescentia sanguinis (§. XII.) intra cordis thalamos oriri malum noscitur, si scilicet praegressis adfectibus, acidis adsumentis, vel intenso frigore hic morbus inualeſcit. Palpitatio a polypo (§. XII.) cognoscitur, ex morbi vehementia et duratione et incremento palpitationis a leuissima sanguinis commotione, spiritu difficili, pulsu inaequali, debili vel plane intermittente, anxietate praecordiorum, deliquio animi interdum
super-

^{mm} Oper. posthum.

ⁿⁿ Lib. de affect. pector. pag. 117.

superueniente, et qualiumcunque remediorum praescripto-
rum impotentia. Non tamen ideo haec signa tam certa
dixerim, quin medici his in diagnosi morbi innitentes non
falli possint, novi enim casum hominis a polypo et palpi-
tationibus mortui, ubi duo medici celebres admodum con-
tra tertium acriter de diagnosi disputarunt, illis mor-
bum pro phthisi, hoc vero pro polypo cordis reputanti-
bus: quis vero rem acu tetigerit post mortem hominis,
docuit sectio, ubi ingens in vasa extensus cordis polypus
inuentus fuit. A vermibus (§. VIII.) si fiat palpitatio ea-
dem pene sunt signa, nisi quod faciei pallor, dolores ro-
dentes, aliaque symptomata grauiora, tremor, pallor, li-
pothyμία, sudores frigidi, saepe ex improviso citra coo-
perationem alterius causae recurrentia accedant. Cal-
culos praesentes (§. VIII.) suspicari licet, si praeter recen-
sita symptomata aeger a singulis palpitationibus dolorem
experiatur plus minus exquisitum. Quod si pericardii hy-
drops cum palpitatione (§. VIII.) coniunctus est, quidam
pro certo criterio habent, si pectus in expiratione non ple-
narie subsideat. Et denique in cordis auctam magnitudi-
nem (§. VIII.) cadit suspicio, si de pondere et molestia vis-
ceri huic incumbente simul conqueruntur aegri. Flatu-
lentae palpitationis signum est (§. XIII.) si a flatibus erum-
pentibus maxime leuatur malum.

§. XV.

Quod prognosin nostri adfectus concernit, parui pro-
fecto habendus non est, a quacunque demum causa oria-
tur, plerumque enim si diutius trahat, periculum ostendit
repentinae mortis, lethali suffocatione ac syncope illatae.
Vt vero sectiones eorum, qui hoc morbo pereunt, satis do-

C

cent

cent, saepissime, antequam syncopem lethalem post se trahit in lethalem phthisin, in aliis in cachexiam, in aliis in asthma conuulsium, omnium frequentissime in hydropem pectoris et pericardii transit; qui mutatus morbi gradus tanto certius lethalis est. Datur et palpitatio chronica in iis, quibus hic morbus post aliquot menses vel etiam post annum recurrit, quos omnes test. C. GALENO ^{oo} et J. LOMMIO ^{pp} ante senectutem morte praeueniri obseruatum est. Neque minus periculosa est, si crebro incidit, idque post solutos morbos, cum multa nausea et bilis vomitu, qui vomitus neque nauseam, neque palpitationem cordis finit, inquit idem LOMMIVS. ^{qq} Generatim autem Medicus de prognosi huius affectus sollicitus probe inquirat necesse est in conditionem palpitationis, an idiopathica (§. XI.) quae causam intra ipsum cor fouet? an vero symptomatica (§. XIII.) siue a morbis spasmodicis, hypochondriacis, hystericis per consensum prognata? Prius enim si contingit, omnes fere perfectae sanationis et medicamentorum spes decollat, quae tamen super est in symptomatica, dummodo primarius sublatus fuerit morbus.

§. XVI.

In curatione huius nostri affectus omnis rei cardo in eo vertitur, vt primo medicus aegros paroxyzantes soletur, deinde, vt extra paroxysmum pro diuersitate causarum non solum indicationes curatiuas sibi formet, sed et hostem quantum per artem fieri licet, remediis ex fonte pharmaceutico, chirurgico et diaetetico desumtis mascule aggrediatur.

§. XVII.

^{oo} Lib. de loc. affect.

^{pp} Obs. med. p. m. 129

^{qq} l. c. pag. eod.

§. XVII.

Ex historia (§. VIII.), symptomatibus et signis (§. XIII.) huius adfectus patet, paroxysmum pro causae varietate nunc cessare et modo alternis vicibus redire, nunc continuo, et haud interrupte aegros adfligere. Unde dantur palpitationis species, in quibus extra paroxysmum medicamentum porrigendi locus non est, quum nempe nunquam remittit, ut verbi gratia in palpitatione à retropulsis exanthematibus (§. XIII.), à polypo (§. XIII.), à calculis (§. citat.); à quibus causis per vitam plerumque perpetuatur paroxysmus. Dantur autem praeter has dirissimas causas et aliae mitiores, quae palpitationis paroxysmum per stata temporis intervalla causantur, et iterum cessant, in quibus proincurae, et consiliis extra paroxysmum locus est. Hae autem palpitationes, vel ab animi adfectibus (§. XI.), vel ab humorum exsuperantia (§. XII.), neglectis naturae interea et artis euacuationibus, vel a spissitudine sanguinis (§. XII.), vel a nimis profusionibus (§. XII.), vel a vermibus (§. XIII.), vel denique symptomatice a variis hypochondriacis, et hysteriacis adfectibus flatulentis deriuantur.

§. XVIII.

In paroxysmo ab animi adfectibus imprimis a terrore (§. XI. XIII.) inducto vix saepe opus est remediis, dum nempe remittente terroris adfectu paroxysmi violentia remittit, sed vero dum terroris in sanguinem effectus plerumque sunt sanguinem per cor transeuntem inspissare et condensare, eo allaborandum erit medico, ut spissitudo et grumescencia sanguinis convenientibus remediis in corde nata dissolvatur. Quibus, quod tamen saepe accidit, effectu destitutis, hoc sanguinis vitium in verum polypum, vel hydropem lethalem

transit, nullis auxiliis auscultantem. Dissoluentium talium infra mentio facienda erit, vbi de curatione palpitationis a spissitudine dicemus. In casu vero, vbi palpitatio ab exsuperantia et simul ebullitione humorum (§. XII.) fuerit nata, praeter quietem, et conclaue non admodum calefactum praestantissima sunt remedia, quae sanguinis commotionem compescunt, quorum pertinent pulueres antispasmodici et temperantes ex lapidibus cancrorum, succino, antimonio diaphoretico, cornu cerui sine igne praeparato, matre perlarum, crystallo montana, nitro, cinnabare &c. confecti, et quibus ad tanto certius sopiendas spasmodicas stricturas vnum vel alterum granum extracti castorei iungi poterit. Idem a medico scopus obtinetur, si ipsi via humida incedendum, et medicamenta fluida praescribenda sunt: hoc nomine non contemnendi vsus sunt mixtura simplex sine camphora, spiritus nitri vel vitrioli dulcis, tinctura florum papaueris rhaeados, tinctura regalis Domini VEHRII hic loci vsitata, quae addito paxillo syrugi papaueris rhaeados, vel de acitofitate citri pro lubitu edulcorari et saepius conuenienti vehiculo ad guttas sexaginta, et ultra propinari possunt. Cura extra paroxysmum necessaria suo sequetur loco. Quod venaesectionem attinet, hanc in omnibus palpitationum paroxysmis non admittunt, ast hoc in casu vel maxime in ipso paroxysmo vtilem quin imo necessariam fore iudicamus, imprimis si ab humorum abundantia et neglectis sanguinis ventilationibus, tam spontaneis, quam artificialibus ortum traxerit. Morbi huius paroxysmus, qui humorum spissitudini (§. XII. XIII.) suam debet originem, si transitorius est, potius sibi relinquatur; curat vero et omnem operam impendit medicus, vt extra paroxysmum salutaria ipsius consilia in effectum deducantur. In palpitatio-

pitatione a nimio sanguinis dispendio (§. XII.) Claris. HOFFMANNVS *rr* in paroxysmo commendat potiones extemporaneas analepticas, ex aquis cordialibus analepticis, et pulueribus eiusdem virtutis concinnatas. Omnium vero maxime virtutem analepticam, et roborantem essentiae ambrae hic extollit. A vermibus in corde (§. XIII.) excitatum paroxysmum, qui probe distinguit, vix habet, quo prompte temperet hunc morbum violentum; commodius igitur hoc fit tempore intercalari, vbi non rodunt. Vbi denique flatus in hypochondriacis, et hysteriis per nervorum consensum, non vero per penetrationem flatuum in partes per consensum adfectas, cor ad palpitationes stimulant, commode paroxysmus leuatnr clysteribus oleosis et carminatiuis ex speciebus emollientibus, carminatis, nec non oleo chamaemeli cocto paratis, quem effectum etiam praestant pediluvia, quibus frictiones pedum cum panis calidis factae antecedunt. Aquacunque demum causa paroxysmus originem traxerit, externe ad roborandas cordis vires communiter applicare solent sacculos ex mentha, rore marino, melissa, floribus chamaemeli aliisque discutientibus, et balsamicis, spiritu quodam generoso irroratis. Imprimis FORESTVS *ss* melissam viridem cum borragine aqua rosacea, et momento aceti madefactam laudare fati nequit.

§. XIX.

In curatione huius morbi a retropulsis exanthematibus (§. XI. XIII.), nisi cito aegro succurratur vix e mortis faucibus liberatur, quare si in tempore euacuatis primis viis, materia acris subtilis in massa sanguinea diffusa haerens in-

C 3

uolui-

rr l. c. pag. 294.

ss Obseruat. medic. Lib. III. obseruat. 10.

uoluitur, et ad exitum per poros cutis disponitur, non plane desperandum est medico; quem in finem lenia diaphoretica ex mixt. SS. camph. ess. pimp. alb sp. bez. Buff. liq. CC. succinato, cum infusis thei-formibus propinentur. In longam vero moram, si trahat morbus, spes est, ut medicamenta acrimoniam demulcentia, acresque particulas, nervosas cordis fibras obsidentes et vellicantes, obtundentia profutura sint, quo scopo iteratis vicibus emulsiones praescribantur; ingrueute autem aestate usus fontis Selterani cum lacte caprillo, vel decoctorum demulcentium et simul discutientium suadendus est. In peccante sanguinis spissitudine (§. XII. XIII.), ut palpitationis causa, curationis cardo in eo vertitur, ut et alimentis et medicamentis perpetua humorum fluxilitas conservetur, cui indicationi, ut satisfiat, decocta, quae aperientem, solventem, et attenuantem virtutem habent, et quorum formulae ex rad. cych. sylv. sarzap. chin. bard. graminis, cass. caryophill. et herba cherefol. et ras. C.C. concinnari possunt, locum inveniunt, quibus etiam mutatis mutandis serum lactis pro potu ordinario substitui potest. Praecedentium autem virtutem nostro iudicio longe superant aquae minerales, quae humores spissos et viscidos attenuant resolvunt, et per convenientia emunctoria proferunt; quasque citra omne ius aequumque à quibusdam medicis, praepiudicatis opinionibus fascinat, susque deque haberi et ad Garamantas Indosque relegari video; quasi vero virtus ista medicamentosa his fontibus soteriis ab ipsa natura impressa non praevaleret omni medicamentorum farragini, ab ingenio hominum excogitatae. His aquis mineralibus ad latus merito ponimus venae sectionem decenter institutam, quae sicuti in paroxysmo (§. XVIII.) insignem fert opem; ita quoque extra illum ad praecaven-

dos

dos palpitationum recurrentium insultus eximiam virtutem exerit. In palpitatione à polypo iam nato praeter medicamenta in spissitudine sanguinis (huius) commendata, repetitae venaesectiones et clysteres, sanguinem pro momento à corde aliorum derivando; horarium, vel aliquot dierum, solamen adferunt. Nemo vero sibi persuadeat, se hisce et similibus curare posse polypos, utpote morbos, vim optimi medicamenti et sagacitatem medici prorsus eludentes et aegros lenta morte consumentes. Sic etiam formati in corde calculi (§. XIII.) palpitationem proritantes palliativam duntaxat, non vero solidam admittunt curam.

§. XX.

Palpitationi à nimia sanguinis profusione (§. XVIII.) per haemorrhagias vel vulnera inductae et virium iactura stipatae extra paroxysmum succurrendum erit cibus nutritivus, quae bonum chylum et per consequens sanguinem cito regenerant, saepe et in pauca quantitate assumptis, simul adhibitis remediis vires instaurantibus et roborantibus. Ingestorum vero tam solidorum quam fluidorum copia hic plus detrimenti quam emolumenti post se trahit. Ubi flatus praesentem nostrum adfectum producant, potius sedes morbi, in visceribus abdominalibus nidulantis, oppugnanda curaque pro varia eius indole, symptomatibus et subiectorum varietate instituenda. Conveniunt imprimis temperantia, incidentia, salia media et id genus alia, quae vias viscerum abdominalium obstructas referant et expediunt: vitentur vero nimis volatilia et aromatica, quibus ordinarie malum in peius ruit. In cura palpitationis a vermibus (§. XIV. XVIII.) extra paroxysmum operam impendat medicus, ut medicamenta exhibeat, quae non fractis viribus

viribus cum chylo ad cor ire et hostem latentem aggredi possunt. Quidam hunc in finem succum raphani rusticani, vel etiam allii recentis expressum commendant. Suam quoque virtutem hic exferit mercurius crudus in potu ordinario coctus, vel etiam interius aethiopsis mineralis usus. Dubito vero, an cataplasma in hoc morbo pectori impostum, et a Cel. LOVERO ** commendatum, desideratum praestet effectum. Datur et palpitatione symptomatica à vermibus inestimatorum, pueris admodum familiaris, cuius cura in expellendis vermibus unice consistit. An vero singularis palpitatione Phil. NERII *** sacerdotis Romani, qua costae ipsius propter indomitam ferociam cordis à cartilaginibus solutae, et follis instar alternis momentis elevatae et depressae sunt; quoque remedio naturae prorsus insolito ad annum LXXXum supervixit; indicationem poterit Medicis formare instituendae cuiusdam similis operationis chirurgicae, naturam imitando, si nempe summus palpitationis gradus (§. III.) exerceat aegros?

§. XXI.

Nihil iam super est, quam ut verbum adiiciam de specifica quorundam remediorum contra hunc morbum virtute, quorum mentionem hic duntaxat, orbatu omni experientia, et suspendentes iudicium nostrum, faciemus. Et quidem C. F. PAVLINI **** meminit cujusdam rustici Wertheimensis, qui frustra omnibus adhibitis solo corde suillo in butyro frixo, et comesto à molestissima et inueterata palpitatione cordis mirabiliter convaluit. Sic et ALB. SEBA ** oleum squinanthi Indici s. iunci aquatici Indici subforma eleosachari exhibitum in palpitatione specificum perhibet; unde et eiusdem plantae radix pulverisata, et ad aliquot grana ex vino exhibita pari virtute gaudet. Ex altero tomo eiusdem libri ***** patet lonchitidem Europaeam recentem, aut siccata in vino incoctam palpitationibus mederi. Sed a pluribus iam abstinemus et L. B. de levidensi hoc nostro specimine veniam precari, dissertationi et simul his pagellis imponimus

FINEM.

** Tr. de Corde p. 107.

*** Ang. VICTORIVS, l. c.

**** In Tract. de Theriaca coelest. reformata, Francof. ad Moen. 1707. 8. p. 163.

***** Thes. rer. natur. T. 1. ex recens. Com. Litt. Norib. 1735. p. 9.

Bo A 6421



Nr. 11 nur

verknüpft

TA-DOL

R

1028

VD 17





10.

M

TIO INAVGVRALIS
DE
TATIONE
ORDIS
QVAM
MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
RAESIDE
O AVGVSTO
BERGEN
OCT. ET P. P. ORD.
FAC. h. t. DECANO
T PROMOTORE SVO
DVM COLENDO
ADV DOCTORIS
DICA RITE IMPETRANDO,
PLACIDO ERVDITORVM
MINI SVBMITTIT
ISVRVS AVCTOR
VID HERMANNVS,
Olfnenfis Silefius
III. NOV. MDCC XXXX.

CVRTI. AD. VIADRVM
HWARTZII, Acad. Reg. Typogr.

